



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 90. Fœdus cum Bajazethe a Papa propositum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.

A C. 1494.

§. XC.

*Fœdus cum Bajazethe a Papa  
propositum.**Comm. to. 5.  
edit. 1723.  
p. 469.*

Ceterum Papa & Alphonsus, ut Gal-  
lorum progressus sisterent, consilium  
ceperunt, Bajazethem Turcarum Imper-  
atorem in auxilium vocandi. Ergo ad  
eum duos ablegant nuncios; Papa qui-  
dem Georgium Bucciardum seu Bafar-  
dum, ut illum alii appellitant, Gennen-  
sem Civem misit, qui tamen non Ale-  
xandri, qua Pontificis causam ageret,  
sed qua Principis temporalis, ac supremi  
Neapolitanæ coronæ Domini iussa de-  
ferret, & Sultano exponeret grave hujus  
regni periculum, quod ei ab hoste, cui  
sola Italia resistendo impar esset, immine-  
ret, eoquod Galliarum Rex fœdera in-  
iisset cum Mediolanensibus, Britonnibus,  
Normannis, aliisque Nationibus, hisque  
auxiliis fretus Romam properaret, &  
Zizimum Sultani fratrem summo Ponti-  
fici eripere medicaretur, ac demum de-  
bellato Neapolis regno, indeque Al-  
phonso depulsato, in Thraciam trajicere,  
ac Constantinopolim expugnare pararet.  
Præter hæc Legatus Bajazethi exponere  
juebatur, juvenem hunc Regem tam  
improbo ad gloriam æstu accendi, ut ad  
illam consequendam iniquissimas quas-  
que



que vias ingredi minime horreret. Ex Sæcul. XV. A.C. 1494.  
 aduerso Alexandrum Ottomannicæ quietis studiosissimum esse, ac memorem recentis, sinceræ tamen amicitiae mutuo sancitæ; de cetero ad ipsius Sultani utilitatem plurimum conferre, ut, quamprimum fieri posset, tam periculosi hostis arma ab Italiæ finibus arcerentur.

## §. XCI.

*Bajazethis responsum ad Papam.*

Bajazethes hac super re binas ad Pontificem perscripsit literas, in quarum prima Constantinopoli die decima quinta Septembris data significat, a se Pontificis nuncium læto animo fuisse exceptum, cunctisque, quæ is suo nomine relaturus esset, tuto fidem esse accommodandam. In altera ex eadem urbe die decimo octavo Septembris scripta mentionem ingerit de quodam Archiepiscopo, quem ad suas preces Cardinalium Collegio adscribi petit. Is erat Nicolaus Cibo Arelatensis Archiepiscopus, cui Innocentius VIII. Papa jam dudum purpuram destinaverat. Præterea Alexandrum permovere conatur, ut Zizimum fratrem ejus, quem in sua potestate habebat, morti traderet, ac in sceleris præmium Pontifici pollicetur trecenta Ducatorum millia, necnon toto vitæ suæ